



Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1558. usque ad annum 1560

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 90118588

§. 70. Calvinistarum consilia in conventiculo in oppido Firmitatis prope Jotrum stabilita.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66800](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66800)

Sæcul. XVI.
A.C. 1560. præterfluxisset, ex quo eorum Parens
Claudius Lotharingus natu minor
Antonii Ducis Filius in Francia sedem
fixerat, postquam Renatus Dux illius
Pater inter alia sua, quæ possederat,
bona eidem Guisæ Comitatum, postea
ad Ducatum, & Franciæ Paris ditionem
evectum reliquerat.

§. LXX.

*Calvinistarum consilia in conventiculo
in oppido Firmitatis prope Jo-
trum stabilita.*

*Davila l. 1.
p. 31. & seq.
Beza hist.
Eccl. l. 1.
p. 256.* **H**oc obtentu Calvinistæ ad concitan-
dam hanc conjurationem uteban-
tur, re tamen ipsa nil aliud intende-
bant, quam Calvini sectam per Fran-
ciam iisdem stabilire mediis, quibus
Lutheri hæresis in Septentrione propa-
gata fuit, scilicet, Religionem Catho-
licam penitus exterminando, ac præci-
pua Monarchiæ legem & fundamen-
tum evertendo: Hoc quoque suorum
consilium luculentissime manifestabant
in primo conventiculo, quod in oppido
Firmitatis prope Jotrum in summo silen-
tio tenebant, ubi ex Condæi Principis
suafu præcipuorum, quos sibi addictissi-
mos habebat, amicorum Oratores, Pro-
testantium Ministri, ac ceteri potissima
ex parte reformatarum Ecclesiarum De-
putati

Sæcul. XVI.
A. C. 1560.

putati convenerant; primis igitur solemnitatibus in hoc conventu per Conradæum Principem inchoatis, minus licet acceptis, Colinius Gallicæ classis Præfectus pro tuenda Religione sua aperuit consilia, quæ cum omnium applausu comprobata fuere: postea ad ea, quæ circa subsidia Angliæ Reginæ, aliisque Principibus Protestantibus submittenda proponebantur, respondit: Porro conspirantium furor in ipsum etiam Regem, utramque Reginam, totamque Familiam regiam sese effundebat, decretumque a potissima eorum parte, non plus ipsis, quam ceteris parcendum: pauci tamen reliquis minus feroces hanc rabiem nonnihil temperare satagebant, contententes, quod Regium sanguinem non esse fundendum, totus conventus declararet: an vero a congregatis id re ipsa fuerit promissum, ignoratur: id tamen certum est, quod hæc conjuratio, nisi fuisset detecta, universum Regnum tumultibus nullo unquam tempore sedandis involvisset. His ita dispositis conjuratorum nomina Renaudio tradebantur, dato negotio, ut cum illis in variis Provinciis consilia conferret, plures alios sollicitaret, & quotquot posset, ad sua signa pertraheret. Hic commissum sibi negotium tanta, qua major in re magis honesta desiderari haud posset;

Sæc. XVI
A.C. 1560

posset, taciturnitate, ac dexteritate exequeretur, ut vero conjurati suos sibi socios probe cognitos haberent, seque ab aliis dignoscere possent, is una omnes die prima Februarii Anno Christi millesimo quingentesimo sexagesimo apud Nannetes convocaverat. (*)

§. LXXI.

Conjuratiōnis executio in alio Nannetensi conventiculo decreta.

Thuan. l. 24.
Davila p. 24.
Bossuet. hist.
des variat.
tom. 2.
p. 112.

In hoc autem conventu conjurati arrogantia vel maxime ridicula effutire præsumebant, quod eorum conventiculum

(*) Benevole Lector, in continuata Fleurii Historia abs dubio præcipue observatu dignum est, quod omnes recens adinventæ hæreses nil nisi seditiones erga legitimos suos Principes, cruenta bella, regnorum devastationes, mutuas inimicitias, cædesque, rapinas, ac omne malorum, & calamitatum genus produxerint, hisque mediis sese latius diffuderint, eo modo, ni peiori, quo Turcæ suum imperium ac superstitionem inchoarunt ac propagarunt: qua ergo fronte Novatores isti jactitare audent, quod eorum Sectæ Principibus regnorum tranquillitatem, ac supremæ suæ potestatis auctoritatem firmiter, quam Religio Catholica asserat; vel unicum per octo-
decim